



## **Dissertatio Exegetico-Polemica ad Matth. XVI. 18. 19. De Ecclesia Petrae Inaedificata Et Potestate Ligandi Et Solvendi Petro Data**

Tubingæ: Litteris Antonii Henrici Roebelii, [1730?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862450535>

Druck Freier  Zugang





410

a. B.

48. b. 8.

23.

Fa-1092 (23)

24.  
24.  
4.  
2.  
5.  
6.  
2.  
3.  
19.  
18.  
9.  
10-6  
115.  
14.  
36.  
13.



27.  
24.  
3.  
2.  
4.  
2.  
5.  
6.  
2.  
3.  
19.  
18.  
9.  
10-6.  
115.  
14.  
31  
13 36.



27.  
24.  
3.  
2.  
4.  
2.  
5.  
6.  
2.  
7. 3.  
19.  
18.  
9.  
10-6.  
115.  
14.  
13. 36.



DISSERTATIO EXEGETICO-POLEMICA  
ad Matth. XVI. 18. 19.

DE

ECCLESIA PETRÆ  
INÆDIFICATA

ET

POTESTATE LIGANDI  
ET SOLVENDI PETRO  
DATA,

---

QUAM

DEO CLEMENTER JUVANTE,

PRÆSIDE

CHRISTOPH. MATTHÆO  
PFAFFIO,

SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PRIMARIO,  
ECCLESIAE TUBING. PRÆPOSITO, ACADEMIÆ CANCELLARIO,  
ABBATE LAUREACENSI,

AD CAL. SEPTEMB. A. MDCCXXX.

IN AULA NOVA DEFENDET

PETRUS SURLEAU, Montisbelgardensis,  
SACR. LITER. IN ILLUSTR. SEMIN. THEOLOGICO TUBING. STUD.

---

TUBINGÆ,

LITTERIS ANTONII HENRICI ROEBELII.





# PRÆFATIO.

**C**UM Ecclesia Romana omne infallibilitatis & præstantiæ, imò perpetuitatis quoque suæ robur jacere existimet in illâ Christi promissione, Petro datâ, de Ecclesia *Petræ inædificanda, partisq[ue] inferorum adversus illam non prævalituris, clavibus item regni cælorum & potestate ligandi & solvendi ipsi conferendâ, operam dignam nos collocaturos arbitramur, verba Salvatoris & explicaturos & à pravis adversariorum explicationibus vindicatueros. Faxit Deus, ut opus hoc nostrum cedat feliciter.*

## Textus Matth. XVI. 18. 19.

ita currit:

Καὶ γὰρ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν· καὶ πύλαι ᾄδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Καὶ δάσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσαι δεδεμένον ἐν τοῖς ἔρανοῖς. καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσαι λελυμένον ἐν τοῖς ἔρανοῖς.

Ego verò & tibi dico, quòd tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & por:æ inferni non prævalébunt contra eam. Et dabo tibi claves regni cælorum & quicquid ligaveris in terrâ, erit ligatum in cælis, &, quicquid solveris in terrâ, erit solutum in cælis.

A 2

§. I.

24.  
2  
19.  
18  
17  
10  
16.  
11  
5.  
14.  
36.  
13

## §. I.

**I**nterrogaverat Optimus Salvator Apostolos discipulosque suos, *quem dicitis me esse?* Respondit nomine omnium Simon Petrus: *Tu es Christus, Messias ille promissus, Filius Dei vivi, Filius ille Dei* κατ' ἔξοχην talis, adeoque & verus Deus. Reposuit Salvator: *Beatus es, Simon, fili Jona, quia caro & sanguis h. e. ratio tua, sive homo alius hoc tibi non revelavit sed Pater meus, qui in caelis est.* Jam insequitur promissio explicanda. Primò dicit Salvator: *Ego vero & tibi dico, quod tu es Petrus.* Constat, Petrum ab Andréâ fratre, Johannis Baptistæ discipulo primùm adductum fuisse ad Jesum, additis verbis: *Invenimus Messiam, Christumque, isto conspecto, statim dixisse ipsi: Tu es Simon, Filius Jonæ. Tu vocaberis Cephas, h. e. Petrus.* Joh. I. 41. sqq. Marc. III. 16. Secuta deinceps fuit solennior Petri & Andréæ vocatio ad mare Galilææ, in quo piscabantur, cui vocacioni & parebant illi Matth. IV. 18. sqq. Marc. I. 16. sqq. repetitæ in piscatione illâ alterâ miraculosâ, cui & aderant duo Zebedæi filii, Jacobus & Johannes, socii Simonis. Luc. V. 2. sqq. Denique cùm Christus XII. discipulos mitteret ad prædicandum Evangelium, Simon, cognominatus Petrus primus ordine (a) ponitur Matth. X. 2. Idem ille est, qui Christo ambulanti in mari obviam venit Matth. XIV. 28. sqq. qui & Christo sciscitanti, num & XII. Apostoli ipsum deserere vellent, respondit:

(a) Nota benè, etsi Andreas à Christo ad discipulatum primus fuerit vocatus, *primatum* tamen *ordinis* inter Apostolos neminem denegare Petro. Sed & hoc nota, à *primatu ordinis* ad *primatum jurisdictionis, supereminentia, dignitatis & potestatis* nullam esse consequentiam. Etenim talis inter Apostolos nulla fuit Luc. XXII. 23. sqq. Jam verò Petro nullam inter Apostolos prærogativam competuisse sed illos æquales dignitate fuisse, postea demonstrabimus.

spondit: *Domine, quò ibimus, verba vitæ aternæ habes, credidimus & cognovimus, te esse Messiam, filium Dei vivi Joh. VI. 68. 69.* quam confessionem deinceps in nostro textu, itidem nomine & proprio & Collegarum repetit, in fide firmus & constans, unde & *Petri* nomen sine dubio à Christo accepit. *Tu es Petrus, inquit Christus, & istâ confessionis tuæ constantiâ & firmitate ostendis, te nomen Petri, h. e. petrosi, aliud enim πέτρος, aliud πέτρος est, cum re possidere.*

§. 2.

Pergit Christus: & *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Per Ecclesiam societatem fidelium, quos *vocaverat jam, & amplius tum ipse tum per Apostolos vocaturus erat, intelligit Christus, Ecclesiam maximè illam primam, Apostolicam, & verbo Evangelii & sanguine Martyrum fundandam.* Comparat illam Christus domo, quæ ædificatur. (b) Sic ædificanda, sic plantanda, sic fundanda erat Ecclesia, sic coadunanda illa vinculo fidei, charitatis, spiritus, & petræ, fundamento longè firmissimo imponenda, quod nulla ventorum vel tempestatum vis, nulla diaboli astutia, nulla persecutorum sævitia subruere posset Matth. VII. 24. sqq. Architectus principalis hujus domûs juxta textum nostrum est Christus, idemque *fundamentum principale* 1. Cor. III. 10. 11. & *lapis angularis* Eph. II. 20. 1. Pet. II. 6. 7. *petra* 1. Cor. X. 4. *lapis vivus* 1. Pet. II. 4. architecti ministeriales & fundamenta secundaria & hæc quidem non ratione personarum suarum sed ratione doctrinæ suæ Matth. VII. 24. sqq.

A 3

Hebr

(b) Vide & 1. Cor. III. 9. Eph. II 20. sqq. 1. Tim. III 15. Hebr. III. 6. X. 2. 1. Pet. II 5 IV. 17. Ita & Ecclesia comparatur templo 1. Cor. III. 16. VI. 19. 2. Cor. VI. 16. Eph. II. 21. 22. itemque civitati, suis fundamentis superstructæ & inædificatæ & in monte positæ Matth. V. 14. Eph. II. 19. triumphans maximè, uti ex Apocalypsi, maximè XXI. XXII. constat. Adde Hebr. XI. 10. 16. XII. 22. XIII. 14.

Hebr. VI. 1. Apostoli Eph. II. 20. Gal. II. 9. idque æquali modo Apoc. XXI. 14. Lapidés, ex quibus domus constat, sunt fideles I. Pet. II. 5. qui iidem & vasa sunt hujus domûs *ἐἰς τιμὴν ἡγιασμένα καὶ εὐαγγελιστὰ τῷ δεσπότῃ* 2. Tim. II. 20, 21. Forsan ex his judicare est, quid per *ταύτην τὴν πέτραν* in nostro textu intelligatur. Dividi quippe heic videas Interpretes. Sunt, qui confessionem Petrinam, sunt, qui Christum, sunt, qui Petrum hâc voce indigitatum putant. Qui primam tenent sententiam, putant, connexionem hoc suadere, cum veritati de Jesu Messîâ eodemque Dei Filio, quam modò professus fuerat Petrus, superstructa sit Ecclesia, atque aliâs verbum Dei vocetur *πέτρα* Matth. VII. 24, 199. Qui secundam sequuntur interpretationem, & ad ipsam connexionem provocant, & ajunt, Christum aliâs in sacris literis *petram* vocari, uti jam vidimus, & heic non saltem alludere ad dicta V. T. Deut. XXXII. 4, Pl. VIII. 14. XVIII. 3, 32. XCV. 1. CXVIII. 22, Jes. XXVI. 4. XXVIII. 16. Danj. II. 35. sed & pronomen *ταύτη* hîc non *ἀναφορικῶς*, ita ut referatur ad aliquid antecedens, sed *δεικτικῶς* de ipsâ loquentis personâ accipiendum esse, cum Christus dicens *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ* palmâ pectus percutiendo seipsum designaverit, vocemque suam gestu adjuverit, ut in illo Joh. II. 19. *Solvite templum hoc*. Qui postremam explicationem adoptant, dicunt primò, allusionem ad Petri nomen factam suadere, de ipso Petro esse sermonem, secundò, Christum dialecto communi, Aramæâ illâ usum esse, quâ & *πέτρα* & *πέτρος* sit *פֶּטְרָא*, nullo prorsus, quod Græcæ dictiones habent, discrimine, tertio, pronomen *ταύτη* ad immediatè antecedens ut referatur, convenire. Nec ramen desunt, quæ huic explicationi opponantur. Scilicet Petrum hîc non intelligi posse, videtur patere 1. ex eo, quòd talis hîc intelligatur Petra, adversus quam portæ inferorum non sint prævalituræ, ast prævaluisse has subinde super Petrum, qui, cum nollet, ut Christus pateretur, ab illo illicò reprehensus & nuncupatus fuerit

Sara-

Satanas Matth. XVI. 23. qui Christum ter negaverit Matth. XXVI. 69. sqq. qui & à Paulo ob hypocrisim fuerit reprehensus Gal. II. II. sqq. 2. ex eo, quòd nulla unquam Petro competierit prerogativa præ cæteris Apostolis, non enim fuisse illum discipulum in sinu Jesu, quem præcipuè amaverit ille Joh. XIII. 24. id quod & malè habuerit Petrum Joh. XXI. 21, 22, nec sententiam pronunciâsse illum in Concilio Hierosolymitano sed Jacobum Act. XV. 19. postponi quoque Jacobo à Paulo Gal. II. 9, imò se ipsum saltem vocare *συμπρεσβύτερον* 1. Pet. V. 1. 3. ex eo, quòd hæc sententia analogiæ Scripturæ S. obstat, quæ, uti supra vidimus, Christum dicat esse petram & fundamentum, lapidem angularem, cui inædificata sit Ecclesia, 4. ex eo, quòd Christus tam sollicitè hîc Πέτρων à Πέτρῳ distinguat, non enim dicit, ἐπὶ τῆσδε τῆ Πέτρῳ sed ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρῳ, 5. ex eo, quòd Petrus ipse sit membrum Ecclesiæ, petræ inædificandæ, jam verò sibi ipsi utique eum superædificari non potuisse. Addunt iidem, rationes pro Petro tanquam petrâ allatas non stringere, non primam, quia allusio elegantiam non perdat, licet statuatur, petram hanc esse confessionem Petri vel Christum, quem confessus iste fuerat, non secundam, quia vox כִּפָּא ubi de Petro dicitur, masculini, ubi de petrâ, fœminini generis sit (c), non tertiam, quia non opus sit, ut pronomen ἑστος ad immediatè antecedens semper referatur, uti constet ex Glassii Philol. sacrâ L. 3. tr. 2. can. 10. Quæ cum ita se habeant, cum & nulla interpretatio apodicticè demonstrari possit, optio nobis relinquatur, quamnam adprehendere velimus (d). Neque enim vel

analo-

(c) Jam verò Jac. Gussæius putat, Christum pro voce Πέτρος utique כִּפָּא, pro voce Πέτρῳ verò כִּפָּא dixisse. Vide Comment. linguæ Ebr. f. 302. 303.

(d) Ita sanè videmus Patres ipsosque Pontifices Romanos, petram mox de confessione Petri, mox de Christo, mox de ipso Petro explican-

24  
2  
2  
19  
18  
17  
10  
16  
15  
14  
36  
13

analogiæ fidei contraria aliqua est, nec causam Pontificiorum, uti deinceps videbimus, juvat.

§. 3.

Sequitur: *Et porta inferni non prævalebunt adversus illam.* Primùm explicandum est, quid sint *πύλαι ἄδης*. Patet ex sacris literis, ἄδην mox statum mortuorum Act. II. 27. 31. I. Cor. XV. 55. Apoc. VI. 8. mox infernum, *τόπον βαράνης* Matth. XI. 23. Luc. XVI. 23. Apoc. XX. 13. 14. mox utrumque significare Apoc. I. 18. Jam rationes suas sic ineunt interpretes. *Portarum* usus olim, inquit, hic fuit. I. portæ erant munimenta civitatis, queis illa, militibus onusta, defendebatur. 2. Chr. XXIII. 5. II. in portis olim jus dicebatur Amos V. 15. III. in portis erat olim solemnis civium conventus, ubi de rebus arduis olim deliberabatur & seniores prudentia suggerebant consilia. Rut. III. II. Thr. V. 14. Portæ ergò inferorum juxta interpretes significant I. potestatem omnem mortis & ejus, qui imperium mortis habet, i. e. diaboli. Hebr. II. 14. Phrasis habetur eadem Jes. XXXVIII. 10. ubi *לֹא יָרֵד מִן הַיָּמִין* *πύλαι ἄδης* designant *statum mortis*, מוֹת יָרֵד מִן הַיָּמִין *πύλαι θανάτου* Pl. CVII. 18. II. dira edicta crudelisque mortis sententias instigante diabolo à tyrannis in Christianæ veritatis confessores ferendas. III. omnem astutiam diaboli & malorum spirituum ad regnum Jesu Christi Ecclesiamque Christianam destruendam conspiratorum (e). Licet autem

plicantes. Loca ista conglomerârunt autores, quos citavimus de originibus Juris ecclesiastici p. 33. citavit & J. C. Wolfius in *Curis ad h. l. p. 252.* Ipsum Concilium Tridentinum sess. 3. *symbolum fidei fundamentum firmum & unicum* nuncupat, *contra quod porte inferni nunquam prævalebunt.* Matth. 16. Sunt tamen & ex Patribus, qui per *petram* singulos fideles intelligunt.

(e) Vide Witii *Oeconomiam fœderum Dei* L. 3. C. 13. §. 22. 23. p. 510. sqq. Nota, peccare heic Socinianos & Remonstrantes, qui putant, his verbis fidelibus saltē spem resurrectionis fieri, cum

ἄδης

autem magna & tyrannorum & diaboli contra Ecclesiam à Christo ædificatam futura sit *ισχυς* & potentia, ea tamen, promittente hoc, contra illam prævalitura non erat. Sensus non est, illam nullâ ratione, nullo tempore contra fideles prævalituram. Jam enim tot Martyrum, tot Ecclesiarum, tum per tyrannos, tum per pseudopostolos & falsos doctores atque per hæreses, tum per vitia grassantia vastatarum catalogus contrarium ostendit. Verborum itaque sententia hæc est, tantam non fore astutiam & vim tyrannorum & diaboli, ut *absolutè, perpetuò & finaliter* contra Ecclesiam à Christo plantatam & petra inædificatam prævaleant, & Ecclesia hæc *finaliter* deficiat & pereat, vel planè nomen Christianum de terrâ deleatur. Etsi enim illa subinde erroribus, vitiis, persecutionibus vastanda sit, erigendam tamen illam rursus, reformandam, ornandam, restituendam esse. Sed nondum omnia diximus. In quæstione adhuc & sub iudice lis est, ad quamnam vocem pronomen *αὐτῆς* sit referendum, an ad *ἐκκλησίαν*, an ad *ταύτη τῆ πέτρα*. Nec improbable hoc postremum esse apparet tum ex Matth. VII. 24. sqq. tum, quòd *πέτραν* maximè in mente habuit Christus dicens: *ἐπὶ ταύτη τῆ πέτρα*. Certè demonstrari haud potest, quòd *αὐτῆς* necessariò ad *ἐκκλησίαν* referendum sit (f).

B

§. 4.

*αἰδῆς* nullibi præcisè *infernum* sed saltem *statum mortis* indigiter. Sic sanè vis verborum non exhauritur. Nec de fidelibus in specie sed de Ecclesiâ sermo est. Est tamen & ex nostris Wolfius in curis ad h. l. p. 255. qui putat, *πύλας αἰδῆς* saltem de morte & interitu explicandas, itemque ex Reformatis Werenselius, qui existimat, easdem saltem *ingressum ejus loci, quo mortui detinentur*, significare, in cogit. ad h. l. opusc. p. 301. respici itaque hîc saltem ad persecutiones Tyrannorum Ecclesiam ex promissione Christi haud destrueturas. Vide & nostras in Matthæum notas ad h. l.

(f) Observârunt hoc ex recentioribus Clericus, in notis Gallicis ad h. l. & Werenselius in cogit. ad h. l. l. c.

§. 4.

Pergimus ad comma 1. 9. ubi ita pergit Salvator: *καὶ δώσω σοι, & dabo tibi*, non sanè soli, potestas enim uti prædicandi Evangelii, ita & ligandi & solvendi omnibus & singulis Apostolis data legitur à Christo Matth. XVIII. 18. (g) *claves regni cælorum*. Per *regnum cælorum* intelligitur *regnum Messie*, cæleste illud & spirituale, Ecclesia N. T. domui in præcedenti commate comparata, cujus *claves* hîc dantur Petro. Clavibus aperitur & clauditur domus, ejusdemque conclavia, promtuarum, cellæ. Jes. XXII. 22. Per *claves* itaque has intelligitur facultas & potestas homines in Ecclesiam & bona gratiæ immitendi & ab iis excludendi. Hæc principaliter ad Christum spectat. Apoc. III 7. ministerialiter data est Petro & Apostolis ministrisque verbi, qui & eapropter vocantur *œconomi* 1. Cor. IV. 1. *œconomiam* hanc suam administrantes per prædicationem verbi divini, quo Ecclesiam gubernant resque illius disponunt ac ordinant, improbos Ecclesiâ & gratiâ divinâ excludunt, pios immittunt. Hinc *claves cognitionis*, per has enim datur introitus in Ecclesiam Dei Luc. XI. 52. Illustrat aliquâ ratione verba Christi vetus Judæorum mos, qui Doctoribus suis in promotione publicâ inter alias cærimonias *claves* quoque tradidere, quæ symbolum erant potestatis referendi aliis & promendi mysteria divina, ut & ipsi ad sapientiam cælestem sic pervenirent, quod alibi observavimus (h). Sequitur: *& quicquid ligaveris in terrâ, ligatum erit in cælis, & quicquid solveris in terrâ, solv.*

(g) Agnoscunt hoc Patres, quorum loca vide sis apud Suicerum in thesauro ecclesiastico T. 2. f. 106. sqq. Agnoscunt idem ex Pontificiis Launojus & du Pin l. c. atque ante hos Richerius, quem infeliciter heic refutat Peravius dogm. Theol. T. 4. f. 117. sqq.

(h) In Orig. Jur. Eccl. p. 17. 18. 23. Adde Jac. Altingii hist. promot. Acad. Hebr. Operum T. 5. f. 254.

*solutum erit in cælis.* Verba hæc explicatione indigent. Quæ-  
runt interpretes, quid sit *ligare*, quid *solvere*? Certum est, in  
dialec[t]o Talmudicâ *ligare*, si de rebus, uti hîc, usurpetur, esse,  
*declarare aliquid illicitum, & solvere, declarare aliquid licitum*  
*& permissum.* Ubi ad personas applicatur, prius est *excommu-*  
*nicare*, *ligare* reatu peccati, posterius, à vinculo hoc *solvere*.  
Sunt &, qui de potestate extraordinariâ & miraculosâ mor-  
bos vel immittendi vel fugandi, aut etiam peccatores Satanæ  
tradendi hîc cogitent (i). Postrema explicatio, cùm nimis  
longè petita videatur, prioribus cedit, inter quas, quæ po-  
sterior est, hâc difficultate laborat, quòd neutra ὁ ἰσχύει, δεδεµέ-  
νον, λελυµένον in verbis habentur. De *rebus* itaque, non de  
*personis* videtur esse sermo. Licet enim generum enallage in  
sacris haud infrequens sit, apparet tamen, contortam paulu-  
lùm heic esse hujus ἐναλλαγῆς fictionem. Quamvis verò ita  
explicetur textus, communi tamen sententiæ nihil heic de-  
cedit, unde & utramque interpretationem jam olim combina-  
vimus (k). Scilicet confert hîc Christus Petro Apostolo, uti  
postea & singulis Apostolis Matth. XVIII. 18. potestatem de-  
terminandi *agenda & omittenda* à fidelibus, determinandi,  
quid sit peccatum, quid secus, determinandi disciplinam ec-  
clesiasticam, adeòque & de statu spirituali hominùm judican-  
di, determinandi, improbos & impœnitentes extortes esse  
regno gratiæ & peccata eorum ligata, pœnitentium verò re-  
missa ipsisque adeò ad Ecclesiam gratiamque divinam aper-  
tum esse aditum. Fundatur itaque & per consequens in hoc  
dicto jus retinendi & remittendi peccata, quod formaliori lo-  
cutione Apostolis Salvator Joh. XX. 23. contulit. Etsi verò  
in sensu eminenti & prorsus ἐξουσίῃ hæc potestas Apostolis fue-  
rit

B 2

rit

(i) Recensuimus diversas doctorum sententiâs l. c. p. 13. sqq. Ad-  
dendus est Wolfius in curis ad h. l. p. 256. sqq.

(k) l. c. p. 22. 23.

rit data, utpote, queis infallibilitatis, queis & miraculorum *χαρισματα* collatum fuerat, addendum tamen & hoc est, nec hanc ipsorum potestatem fuisse absolutam, sed juxta ordinem salutis à Deo præscriptum exercendam, uti res ipsa docet, nec solis Apostolis, sed toti Ecclesiæ, quæ sine exercitio hujus potestatis subsistere non posset, collatam illam, atque, uti prædicationem verbi, cum quâ connexa est, à Ministris Ecclesiæ rectè exerceri. Quod restat, sensus verborum hic est: quicquid heic egerit Petrus, sive solvendo, sive ligando, & apud Deum ratum fore. Confer, quæ & alibi ad h. l. diximus (1).

§. 5.

Ex dictis judicari potest, num ex hoc loco primatus & Episcopatus œcumenicus Petri & Pontificis Romani, itemque Ecclesiæ Romanæ infallibilitas, autoritas & indefectibilitas pateat. **NON PRIUS.** Neque enim I. confectum est, *per petram* Petrum esse intelligendum. II. Posito hoc, nondum concessio, *petra* hîc *Petrus* diceretur, non absolutè ratione personæ suæ, sed saltem ratione fidei, quam confessus erat nomine & proprio & communi omnium Collegarum. Non itaque diceretur sic *petra* exclusivè ad cæteros Apostolos, tanquam Monarcha Ecclesiæ, sed cumulativè cum illis. Omnes enim Apostoli Ecclesiæ & quidem æqualia fundamenta sunt. Eph. II. 20. Apoc. XXI. 14. Omnes Apostoli sunt æquales. 2. Cor. XI. 5. XII. 11. Gal. II. 6. 9. Omnibus idem collatum munus Matth. X. 1. sqq. XXVIII. 19. 20. Omnibus eâdem ratione claves cœlorum datæ Matth. XVIII. 18. itemque potestas remittendi & retinendi peccata Joh. XX. 21. sqq. (m) Nec

(1) In notis ad Matthæum p. 145. sqq.

(m) Egregiè hoc ex ipsis Pontificiis urgent Launojus epist. P. 5. ep. 7. & L. Ellies du Pin de antiquâ Ecclesiæ disciplinâ diff. 4. C. 1. §. 1.

Nec ullus debuit esse ὁ μείζων, *major* Luc. XXII. 24. seqq. III. Petrus fuit quidem Apostolus, sed non Episcopus œcumenicus, Romanæ sedi affixus. Gal. II. 8. Nec præcisè fuit Episcopus Romanus, etsi Romæ Evangelium prædicaverit & martyrium subierit. Ubique enim Evangelium prædicare ut Apostolus debuerat, omniumq; Ecclesiarum, uti cæteri Apostoli, curam gerere. IV. Quicquid sit de Petro, quid hoc ad Pontificem Romanum? qui, num Petri successor sit in sede Romanâ & Episcopatu œcumenico, alibi discussimus. Neque enim vel Petrus, uti jam diximus, fuit Episcopus Romanus, Ecclesiâ Romanâ diu ante ipsius adventum, qui itidem multis subjacet dubiis, fundatâ, nec Pontifex Romanus est Apostolus, quod Petri officium existit, nec Pontifices Romani vel in doctrinâ, vel in cultu, vel in vitâ Petro successere (n), nec ulla datur eorundem successio canonica non interrupta (o). NON POSTERIUS. Nam I. locus noster non agit de Ecclesiâ quâdam particulari, qualis Romana est, sed maximè de Ecclesiâ primitivâ illâ & Apostolicâ à Christo immediatè plantata, in quâ fervor fidei maximè bulliebat (p). Ecclesias enim particulares & antiquas & sequiores persecutionibus, hæresibus, vitiis vastatas & inquinatas fuisse, historia docet.

B 3

Et

p. 307. fqq. Patrumque idem sentientium proluxa hæc testimonia citant.

(n) Liceat hîc addere verba Werenfelsii l. c. p. 303. *Tameis Pontifex Rom. successor Petri esset non solum in Episcopatu Romano, sed etiam, uti volunt, in Episcopatu Oecumenico, tamen, quæ ad elogium primi Episcopi Romani aut primi Episcopi Oecumenici faciunt, ejus successores nullo modo tangunt, non magis atque successores Oecolampadii id spectâset, si quis ipsi dixisset: Tu es Oecolampadius, & hæc lampade Christus illustrabit domum suam.*

(o) Vide diss. nostram de successione Episcopali art. 7.

(p) Ita sanè & Werenfelsius l. c. p. 299.

24  
2  
19  
18  
17  
10  
15  
14  
36  
13

Et contra Ecclesiam Romanam prævaluisse portas inferorum docent falsa dogmata, falsus cultus & tyrannis, in illâ quæ utramque paginam faciunt. II. Promissio hæc Salvatoris Ecclesie data, si usque ad consummationem seculi extendatur, & in sensu absoluto sumatur, non de Ecclesiâ externâ, etiam universali exponi potest. Ratio, quia complementum est clavis prophetiarum. Constat verò, totam Ecclesiam & Orientalem & Occidentalem successu temporis in maximos errores & pravum cultum lapsas fuisse, adeoque portas inferorum hætenus adversus illas prævaluisse. Ex quo ipso &, quàm necessaria fuerit Ecclesie reformatio, patet. Spectat itaque hæc promissio maximè ad Corpus illud Christi invisibile, quod est Ecclesia, ex fidelibus & sanctis in singulis cœtibus dispersis consistens & cum fidelibus in cœlis triumphantibus unam societatem spiritualem conficiens, contra quam utique portæ inferorum nunquam sunt prævalituræ. III. Si & ad Ecclesiam externam eamque universalem applicetur hæc promissio, ad quam & subsidiariò spectat, tamen non absolutè sed restrictè illa erit intelligenda. Scilicet & contra Ecclesiam universalem haud prævalere in totum & absolutè & finaliter possunt portæ inferni, licet ad tempus subinde prævaleant, persecuciones excitando, hæreses disseminando, cultum publicum corumpendo (q), jam enim Christo invigilante, in omnibus Ecclesie ætatibus adhuc invenire est testes veritatis, succeditque vel tandem optata illa hora, quâ hæresum, cultus per-

(q) Tam verum hoc est, ut ipsi Pontificii fateantur, sedisse & in ipsâ Ecclesiâ Romanâ Pontifices hæreticos, certè à pravis indignissimisque Pontificibus sedem Romanam fuisse miserrimè vastatam, Ecclesiamque multas per varias ætates eclipses passam esse, maximè verò sub Antichristo olim ad incertam redactum iri. Itaque opus est, ut & ipsi hanc Christi promissionem in sensu restricto sumant.

perverſi, vitiorum, ſcandalorum nubibus diſcuſſis, Eccleſia ab abuſibus & doctrinæ & cultus reformatur & priſtino nitore reſtituitur. Et licet Eccleſia etiam univerſalis corrupta ſucceſſu temporis fuerit, non tamen ita fuit deſtructa, ut non ſemina veræ doctrinæ, veri cultus & verorum fidelium, verum verbum Dei, verus baptiſmus &c. in eâ permanerint. IV. Cùm ſub iudice adhuc lis ſit, num *avtys* referendum ſit ad *petram*, vel ad *Eccleſiam*, uti ſupra diximus, locus hîc pro inſallibilitate, perpetuitate & indefectibilitate Eccleſiæ prorsus ſine ullâ demonſtrationis vi allegatur. Jam enim non ſequitur, ſi petra, cui domus inædificata eſt, eſt invincibilis, deſtrui neſcia, ergo & ipſa domus abſolutè talis eſt. Licet enim à ventis nimbis & aquis ingruentibus diſjici facile haud poſſit Matth. VII. 24. ſqq. ab internis tamen periculis & malis ſibi metuere poteſt. V. Cùm ſinguli fideles juxta hanc quoque promiſſionem ſint inædificandi Petræ Chriſto, ſingulis etiam data ſit promiſſio, quod nemo illos poſſit rapere è manu Patris & Chriſti Joh. X. 28. 29. quod & firmandi ſint in gratiâ conſervandique uſque ad diem extremum 1. Cor. I. 8. 1. Theſſ. III. 13. promiſſio verò hæc ſit hypothetica, non abſoluta Col. I. 23. Hebr. III. 14. jam & hinc facilè patet, portas inferorum contra Eccleſiam haud prævalituras, niſi ipſa quidem à petrâ ſuâ deficiat, eamque deſerat. Deſeri enim poteſt Deut. XXXII. 15. 18. Pl. CXVIII. 22. Matth. XXI. 42. 1. Pet. II. 6. 7.

**F I N I S.**

24.  
2  
19  
18  
17  
10  
16  
15  
36  
13

Sonnet.

Pour convaincre Luther d'hérésie, & de schisme  
Rome a beau raisonner à tort, & à travers  
La Vérité triomphe: En vain dans l'univers  
Veut-on pour la combattre employer le Sophisme.

\* \*  
Eclairé de l'esprit du vrai Christianisme,  
Ces faux raisonnements vous étant découverts,  
Vous vous êtes rendu par vos travaux divers  
Capable d'attaquer les Erreurs du Papisme.

\* \* \*  
Etre ainsi triomphant du Mensonge en ces lieux;  
C'est là le vrai moyen de l'être un jour aux cieux:  
Poursuivez vivement, puisque Rome est coupable,

\* \*  
Laissez-vous entraîner par un juste courroux,  
Combattez vaillamment sa doctrine damnable;  
Puisse-t-elle à jamais se sentir de ses coups!

*Ces vers sont pour féliciter Monsieur SURLEAU  
notre Senior sur les progrès qu'il a faits dans l'étu-  
de de la Théologie, & pour lui donner une marque  
de l'estime, & de l'amitié qu'ont pour lui*


Les Etudiants de Montbéliard.

Index.


- 1) Christ. Aug. Schüz (P. P. F. Bahrdt) De Vestigijs Religionis paganae quod Pontificis specimen ad Matth. IV. 10.
- 2) Jo. Frid. Hufschmanni Vindiciae oraculorum quorundam Script. j. potissimum locorum Matth. V. 3 & XIX. 21-26.
- 3) Casp. Jac. Huthig de Manufectis terra haeredibus. Matth. V. 5. *Sectio prior exeg.*  
4) *Sectio posterior dogm.*
- 5) Christ. Sigism. Georgius de Propria Sufficitia Vanitate ad l.c. Matth. V. 20-26. & Luc. V. 1-11.
- 6) Jo. Henr. Cheserfeldius de Divisione sacrae Aequae sae & quae ex Matth. VI. 12. contra Tyrannum.
- 7) Christ. Sigism. Georgius de Divinitate Christi omnipotentis & omniscientis attributis probata ad l.c. Matth. VIII. 1-12. 23-27. XIII. 24-30 Illustrationes.
- 8) Christ. Leber. Muller (P. P. F. Neubauer) de Missionariis Christi. ad Matth. X. 16. & Luc. X. 2.
- 9) Christoph. Matth. Paffius de Ecclesia Petri inaedificata & Potestate ligandi & solvendi. Probata, ad Matth. XVII. 18. 19.
- 10) Theoph. Gul. Formisch (P. P. F. Bahrdt) de Potestate Ecclesiae, ad Matth. XVI. 19.
- 11) Christ. Sigism. Georgius de Scandalo dato ab accepto. ad l.c. Matth. XVIII. 1-11. & IX. 1-8.
- 12) Christ. Gottl. Frid. Wolffius de Divitiis Sadaorum ad illustrationem xvi. S. S. C. in primis Matth. XIX. 8-9.
- 13) Jo. Rud. Hiesling de Procuratore in Vinca Domini. ad Matth. XX. 8.
- 14) Christ. Sig. Georgius de Gratia Dei homines vocante sermone & universalis. ad l.c. Matth. XXII. 1-14. & Joh. IV. 47-54.
- 15) \_\_\_\_\_ de Amore erga Deum se ipsum & proximum. ad l.c. Matth. XXII. 34-46. & Luc. XIV. 1-11.
- 16) Jo. Heinr. Doehn Commentatio in Matth. XXIII. 8. 9. 10. (Matth. XXIII. 27. Ab. Pars altera.)
- 17) Jo. Georg. Gottl. Schwartz (P. P. R. H. Rollé) de Gratia convertente Sadais sermone oblata & turpiter ab ipsis repudiata ad
- 18) Henr. Gottl. Richterius (P. P. H. Klauing) de Agitatione copiarum caelestium circa finem orbis expectanda, ex Matth. XXIV. 29. Marc. XIII. 25. & Luc. XXI. 26.
- 19) Christ. Thomasius (P. P. F. Moeb) de Injusto Pontis Pilati judicio.
- 20) Christ. Sig. Georgius de sepi justificante & justificato ad l.c. Marc. VII. 31-37. & Luc. XVIII. 9-14.
- 21) Jo. Dav. Michaelis Dissertationes duae ad Marc. X. 42. & XV. 25. ac Joh. XIX. 14.
- 22) Chr. Sig. Georgius de Fide in f. C. ad dextram Dei exaltatum sacrificia, ad l.c. Marc. XVI. 14-20 & Joh. III. 16-21.
- 23) \_\_\_\_\_ de Fidei adagogogias certitudine, ad l.c. Luc. I. 57-80. & I. 39-56.
- 24) Georg. Gochius de Prosperis Christi.
- 25) Christoph. Frid. Schott (P. P. H. Klemm) ad Luc. XIII. 23. 24.
- 26) Chr. Sig. Georgius de Homine aeterna sua damnationis causa ad l.c. Luc. XIV. 16-24. & XVI. 19-31.
- 27) \_\_\_\_\_ de Imitatione sepe de Dei misericordis ad l.c. Luc. XV. 1-10. & VI. 38-42.
- 28) Joh. Andr. Gnilius in Dictione Salvatoris Luc. XVII. 20. 21. de Regno Dei in Terris.
- 29) Paul. Gföng. a Pettijer de Osulo sancto Rom. XVI. 17. eiq. opposito Osulo Sadae Luc. XXII. 48.
- 30) Jo. Gottl. Lange (P. P. C. Stemler) Nathanaelis de Christo confessio. Joh. I. 49.
- 31) J. Titmann dicto Schenck de lotionis a Christo admittente.
- 32) Joh. Ad. Osander de Historia Mulieris adultera non adulterina, ad Joh. VIII. 1-11.
- 33) Gul. Henr. Krippendorf (P. P. C. Haff) contra Georg. Trapezuntium in verba Christi ad Petrum Joh. XXI. 22.
















*in ocul dubio* IESVM, MESSIAM, ὃν ἔγραψε Μωϋσῆς ἐν τῷ βιβλίῳ προφητῶν.

§. 5.

versabatur in eius animo de MESSIA vaticinium, non per litteras, sed per hominum ora ad CHRISTI vsque propagatum, et a *Matthaeo* II, 23. consignatum: ὅτι κληθήσεται. Huius enim recordatio impedire saltem NATHANAELEM, quo minus PHILIPPO fidem denegaret, nec αδύνατον esse sibi persuaderet, IESVM ab illo esse, licet eum *Nazarethanum* adpellauerit. Quod si vel dubitemus, NATHANAELI distincte perspectum, et fuisse, quam ob causam *Nazarethanus* diceretur virtusne sui causa, an educationis ergo? h)

§. 6.

aque in *Messiae* cognitione NATHANAEL magis mafficeret, suasor ipsi erat PHILLIPPVS, vt ad CHRISTERET ipse, et cum eo sermones misceret: Ἐρχεσθαι, καὶ ἴμω augurio, NATHANAELEM CHRISTI verba, et oculis, oculisque percipientem, eo penitus eundem coeoque ardentius amaturum esse! Cui spei euentus am felicissime respondit, quum PHILIPPI dictis auctus NATHANAEL.

§. 7.

TIVS i) aequae ac MVS CVLVVS, k) licet non sine oppositi formi-

hoc vaticinium NATHANAELI in mentem venire, iudicat vs in *commentario suo ad hunc locum*; eius autem vere illum se haud definit. Enimuero si vel frequentem Prophetarum lectione NATHANAELI haud adseruerim; et cum LAMPPIO dubitandum, quod certe sciuerit Messiam in vrbe Bethlehem nasci quoniam iudaeorum vulgus summa huius doctrinae ignorantia ore laborabat, docente *Matthaeo*, Cap. II, 4. 5. Alterum tamen vaticinium, quod in hominum oribus circumferebatur, citius nosse NATHANAEL, prae illo, quod in Prophetarum scriptis ser-

uatur in *Homilia*, ad Cap. II, 23. *Matthaei interrogationis signum* prioris nomini: ANAZARETH? adponendum, caetera verba, adlegendum esse iudicat: *Potest aliquid boni esse.* Mutasse tamen suam videtur, *Caput I Ioannis*, eiusque *comma 47* illustrans. *Sponso* (interrogatiue prolato) *adparet, Nathanaelem fuisse vi-*  
*rum*

